

## FERIA SECUNDA PENTECOSTES.

EVANGELIUM. JOANN. III.

In illo tempore, dixit Jesus Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Qui credit in eum non judicatur. Qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei. Hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Erant enim malorum opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur, opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo facta sunt.

### CONCIONES.

- I. Missio Spiritus sancti quantum donum sit.
- II. Cur in linguis igneis apparuerit Spiritus sanctus.
- III. De septem donis Spiritus sancti.
- IV. Eadem Spiritus sancti dona aliter exponuntur.
- V. Quantopere dilexerit Deus mundum.
- VI. Amoris erga Deum effectus.
- VII. Peccati tenebræ, seu peccati turpitudine.
- VIII. Fidei et religionis christianæ excellentia, ostendens eam esse cælestem.
- IX. Mystera et documenta.

#### CONCIO I.

MISSIO SPIRITUS SANCTI QUANTUM DONUM SIT.

- I. Si donum ipsum Spiritus sanctus consideretur. —
- II. Si consideremus donantem. — III. Si consideretur mundus, cui datus est. — IV. Si consideremus modum, quo datus est: 1. Universum. 2. Largiter. 3. Constanter. 4. Immanenter. — V. Si consideretur causa donationis: 1. Dei charitas. 2. Christi merita. 3. Nostra miseria.

#### THEMA.

Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. III.

Cum duo reges mutuo fœdere sibi reconciliantur, mutuis se muneribus solent honorare. Cælum et terra, Deus et mundus post diuturnam dissensionem, tandem interveniente Christi passione sibi dexteram dederunt, amicitie fœdere inito. Quare in signum mutui fœderis misit nuper mundus Deo, terra cælo, Christum Deum

#### CONCIONES AUCTARIUM.

- I. Dulcis hospes animæ Spiritus sanctus, apud quos hospitetur.
- II. Cur Spiritus sanctus in specie ignis apparuerit.
- III. Jubilæum quid sibi velit.
- IV. Quanti æstimanda sit s. confirmatio.
- V. Peccatum summo odio habendum velut tenebræ Ægyptiæ.

et hominem ad cælos ascendentem, munus admirandum, et ipsis angelis obstupescendum: unde Isa. LXIII. admirabundi de eo loquuntur: Quid est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine virtutis suæ? Quasi cupiant edoceri inferiores angeli a superioribus de tam grandi munere, ut exponit S. Dionysius, c. VII. cæli hier. Quid igitur supererat, nisi ut Deus etiam mundo reciprocum munus mitteret? Misit igitur et ipse munus, priore non inferius, Spiritum sanctum videlicet in specie unguarum ignearum, ut in nobis habitet, jure ab Ecclesia appellatum donum Dei altissimi; donum inquam incomparabile, quo nullum majus poterat donari, vel ab ipso Deo. Gaudeamus igitur, auditores, quia munus hoc demonstrat terram cælo reconciliatam esse. Verum ut gaudium nostrum plenius sit, doni hujus præstantiam exactius contemplantur.

1. Immensum est hoc donum primo, si ipsum

in se consideretur, seu is qui mittitur. Est enim ipse Deus, tertia in Trinitate Persona, fons, et origo omnium donorum ac honorum: non quomodocumque, sed vere, realiter nobis communicatus, ita ut novo modo secundum divinitatem tamquam amicus habitet in nobis: magis proprie et intime, quam est in creaturis cæteris per essentiam, præsentiam, potentiam; ita ut si per impossibile hoc pacto non esset in nobis, per gratiam inciperet revera esse in nobis: quomodo post consecrationem incipit corpus Christi esse sub speciebus panis, ut docet Suarez, et ex eo Corn. a Lapid. in Act. c. III. Duo magna et universalia bona creavit Deus primo statim die: fontem seu abyssum aquarum, quæ per varias venas irrigabant totam terram: et lucem, Gen. I. utrorumque typus Spiritus sanctus fuit: fons aquarum, teste Ruperto et Cyrillo Jeros. catec. XVI. quia ut ille totam terram, ita iste totum hominem irrigat. Atque hic est fons, de quo Dominus, Joan. IV. dixit: Aqua quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: Spiritus sanctus enim habitans in homine, primo, omnes ejus vires et facultates irrigat ac fecundat, intellectum illuminat, voluntatem accendit, sensitivum appetitum sedat. Magum bonum lumen intellectus, sed solum id non sufficit ad hoc, ut bene operemur et vivamus; voluntas etiam allici et suaviter impelli per aliquid quod delectet debet, ad hoc ut suscipiatur et agatur quod bonum esse scitur; ergo Spiritus sanctus facit in nobis præter illuminationem, etiam delectationem et dilectionem virtutis et summi boni, ut eo prosequamur. Et quia concupiscentia a prosecutione illa valde nos retardat, motus etiam illius compescit et tranquillat: mutat enim delectationem ventris in delectationem mentis. Deinde, interno quodam impulsu hominem progressu virtutum sursum ad cælestia attollit, et demum usque in vitam æternam salire facit. Igneo curru raptus est Elias in paradysum, IV. Reg. II. eodem evehit hominem fons Spiritus sanctus. Scimus etiam Christum a Spiritu sancto expulsum in desertum, teste D. Marco, c. I. e contra porcos illos Gerasenorum a Spiritu malo expulsos et præcipitatos esse in mare; quia nimirum Spiritus bonus impellit hominem ad virtutem et mandatorum observantiam, spiritus vero malus ad præcipitum et desperationem.

Alterum mundi bonum lux erat, eodem primo die creata, quæ et ipsa Spiritum sanctum non obscure designavit, ut indicat apostolus, II. Corinth. IV. dicens: Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris. Illuxit utique per gratiam Spiritus sancti, quæ ex tenebris infidelitatis ad fidei lumen perducti

fuiamus. Accedit ratio similitudinis non parva. Primo enim, sicut ante lucem illam mundus erat oppletus undique tenebris adeo deformis, horridus, indigestus merumque chaos: ita etiam ante adventum Spiritus sancti plenus erat tenebris ignorantie et idololatriæ (excepta sola Judæa, quam Christus illustravit.) F. quemadmodum creata luce, cæpit apparere opus Dei, decor et ornamentum cæli, terræ et cæterorum elementorum: ita misso de cælo Spiritu sancto apparuit primum opus secundæ creationis seu reparationis humanæ, quod perfecit Christus. Tunc innotuit mundo verus Deus, Dei incarnatio, mors, resurrectio, ascensio, evangelium, vera beatitudo, diaboli fraudes, quibus mundum demerarat. Propterea in forma ignis venit: ideoque recte ei applicari potest, quod de Christo dicitur in hodierno evangelio: Lux venit in mundum. Deinde, quemadmodum lux est qualitas nobilissima, quia aurea et quasi cælestis, solis proles, lætissima et jucundissima, quia omnium animos exhilarat ac mœrorem pellit: commodissima, quia ad omnem usum et percipiendam omnium rerum cognitionem servit: pulcherrima, quia cælos, elementa, et quæcumque in mundo sunt, ornat atque illustrat suis coloribus: efficacissima, fecundissima, et potentissima, quia est instrumentum universale celestium causarum, quo vis omnis siderum, omnisque defluxus et effectus ad nos defertur omniaque fecundantur: ita Spiritus sanctus nobilissimus est a Deo Patre et Filio procedens, omnium desolatorum animos consolatur et lætificat, ad mandatorum Dei observationem nos impellit, rerum cælestium cognitionem imperit, Ecclesiam universam variis donis suis mirum in modum adornat, homines immutat atque terrenis cælestes, e timidis fortes, inconcussos et Sampsones facit, mundum totum renovat, juxta id Ps. CIII. *Emittes Spiritum tuum et creabuntur, et renovabis faciem terræ*, siquidem mundo prius erroribus et vitiis existente pleno, postea repleta est terra scientia, virtutibus, templis, monasteriis, Dei veri cultu, etc. omnia denique prius languida et mortua restaurat et vivificat, non secus ac spiraculum illud vite, quod inspiravit Deus luteæ massæ, vitam Adamo dedit. Sine eo spiraculo Adam quid fuisset? Terra rubra et limus fuisset. Et quid homo Spiritu sancto destitutus? Caro est et brutum animal, ideoque enim Joelis II. dicitur: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem*. Quid homo sine Spiritu sancto? Cervo est, et lepore timidior, uti patet in Petro et cæteris apostolis, nondum Spiritu sancto corroboratis. *Infirma est omnis anima* (inquit D. Gregorius supra id Psal. *L. Spiritu principali confirma me*) nisi Spiritus

sanctus virtute fuerit firmata. Quid homo sine Spiritu sancto? Nox et chaos est, latibulum dæmonum, vitiorum colluvies, carcer omni solatio carens, qualis erat mundus, ante lucem creatam. Propterea igitur Deus primo statim die una cum caelo, terra et abyso aquarum creavit lucem, ad instar sapientis architecti, cui domum ædificaturo, prima cura est de lumine domui quam largissime et commodissime inferendo: quia sine luce tota illa machina frustranea et ineulta fuisset; ut hinc disceremus quam primam adlaborare uti Spiritum sanctum obtineamus, et ne unum quidem diem ejus præsentia carere velimus. Quod enim est mundus sine luce, quod domus sine lumine, hoc est anima sine Spiritu sancto. Ecce igitur quantum donum accepit hodie mundus!

II. Immensum est id donum, si attendamus ad donantem, qui est Deus Pater et Filius. Filius a solo Patre missus ad nos fuit, quia ab eo solo procedit: Spiritus sanctus vero a Patre simul et Filio missus est, qui ab utroque procedit. Itaque Deus Pater, et Filius primum, summum et increatum donum, cui totam suam essentiam cum omnibus attributis communicarunt, nobis donarunt, atque ita Spiritus sanctus est monile et testimonium amoris totius Trinitatis erga nos. Quid vero istud est, donum a Deo accipere? Neque enim Spiritus sanctus quasi eleemosyna a Deo nobis datur: sed vere ut donum magnificentum, divinam majestatem decens, datum ut amicis, non ut mendicis. Magnum quid accepisse se credidit Elisæus, cum pallium Eliæ magistri sui, igneo curru rapti, accepit, et in eo pignus spiritus, qui in Elia fuit, IV. Reg. II. Sed quid Elias, qui spiritum non suum, sed divinum discipulo reliquit, respectu Dei, qui Spiritum suum nobis donat? Plusquam regio munere affectum se arbitrabatur S. Antonius, cum Pauli eremitæ tunicam e palmarum foliis manu ejus contextam hæreditarie accepit; neque enim nisi in summis festivitibus ea induebatur. Et quid est tunica Pauli respectu Spiritus sancti, qui manibus (ut ita dicam) Dei Patris et Filii, mutuo scilicet utriusque amore, contextus est? Refert Valerius Maximus, I. VIII. c. XV. strenuum quemdam militem ob rem præclare gestam a Tito Labieno auro donatum, cum audisset: *Habebis donum viri divitis, aurum repulisse, et ad pedes Labieni projecisse. Sed cum postea audisset: Imperator te armillis argenteis donat, placere gaudio abiisse. Bene enim Seneca, lib. I. de benef. c. IX. Non quanti quæque sint, sed a quali dentur, perspiciendum.* Jam vero donum Spiritus sancti non solum in se immensum est, sed etiam ab immenso Deo datur. Boni illi Samaritani, qui Christum susceperunt,

non exiguo sibi honori ducunt, quod fruerentur fonte, quem accepissent a Jacob patriarcha, ut colligitur ex discursu Samaritanæ, quæ aiebat Christo: *Numquid tu major es patre nostro Jacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii ejus et pecora ejus?* Joann. IV. Et tamen Jacob, etsi foderat puteum illum et hiberat ex illo, non erat revera pater Samaritanorum, utpote qui Babylone ex Assyria translatus erat in provinciam Israelitarum, Samariam, ob viciniam tamen assueverunt ritui Judæorum, et coluerunt eorum Deum, una cum idolis suis, ut docet Cyrillus et alii. Jam vero audtores, si isti fontem Jacob tantum aestimarunt, quod a tanto eum viro effossum et degustatum sibi relictum haberent; quid dicemus nos de divino illo fonte Spiritu sancto a Deo nobis donato? Illum enim effoderunt (si ita loqui fas est) Deus Pater et Filius: ex illo ipsi hauserunt et hauriunt semper mutuum amorem, quo se invicem complectuntur. Illum ergo et nobis servis suis communicarunt, ut ex eo biberemus velut pecora eorum; et illo ipso spiritu inebriemur, eo amore fruemur, quo ipsi mutuo gaudent. Nonne stupendum hoc: exnectare et ambrosia Dei participare homines? Una cum hero ex eodem fonte bibere ejus pecora? Quis non omnibus mundi bonis fontem istum præferat? Quis eum commutare cum qualicumque diabolo, cum fontem hunc nobis eripere vult, quod dixit Naboth regi Achab: *Propitius sit mihi Dominus, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi*, III. Reg. XXI. Spiritus sanctus hæreditas mea est, tradita mihi a Deo Patre, et Filio, ut maneat tecum in æternum: absit ergo ut eum commutem cum auro, voluptate, honore.

III. Si consideretur is cui datur, mundus videlicet. Quid vero est mundus aliud, nisi colluvies hominum, ut plurimum reproborum et Deo rebellantium? Sane si de iis loquamur, quibus ipso die pentecoste post apostolorum prædicationem collatum est donum Spiritus sancti fuerunt illi partim Judæi, Christo prius infensi et rei necis ipsius: partim gentiles et idololatræ ex omni natione, ad tria millia. Et quis hoc non miretur? Nam quod ad Judæos attinet, illi sane hoc dono indignissimi erant, ut qui paulo ante clamaverant contra Christum *Crucifige, crucifige*, quos Petrus in oratione sua habita in pentecoste tamquam presentes punctu illa voce: *Quem vos crucifixistis*, ut advertit S. Chrysostomus. Immo hi ipsi erant, et quorum templo ante paucos dies, cum mortuo Christo Domino scinderetur velum templi, visus est evolare Spiritus sanctus in columbæ specie, ut scribit S. Ephrem, serm. de passione Dom. Ad hos ergo Spiritus

sanctus, ubi compuncti fuerunt, venire non dubitavit, ut in eorum cordibus nidum suum poneret. Quod vero ad gentiles spectat, magis mirandum videtur, quod tam grande donum a Deo illis decretum fuerit, qui semper a Deo alieni, et diabolico cultui addicti erant. Crescit ergo hinc mirifice doni illius pondus, quod et indignis collatum fuit, conferturque in hodiernum gravissimis quibusque peccatoribus, dummodo ad cor redeant et compungantur de peccatis suis. Sæculo decimo tertio tota Massilia admirata fuit factum amici pene inauditum, quo Zenothemis Charmoleus Massiliensis vir decorus et procerus, necnon locuples et honoratus, opes et divitias suas cum Menecrate, viro quondam divite, sed quorundam machinatione ad pauperiem et infamiam redacto, auditus ejus querelis, partitus est, insuper et filiam ejus natura admodum deformem ac miseram, (utpote dextra corporis parte mancam, altero captam oculo, necnon caduco laborantem morbo) in uxorem sibi despondit, sola amicitia et commiseratione Menecratis permotus, uti scribit Petrarca; quid se eos in Italia eodem curru vectos vidisse cum admiratione scribit, dial. LII. de amico fid. Sed qui hoc respectu amicitiae quam Deus exhibuit nobis Adæ filiis in exilium pulsus, pauperulis, cæcis, ad bene operandum mancis, ad lapsum pronis? Nonne divisit nobiscum Spiritum suum, dum eum nobis donavit? Nonne etiam in baptismo despondit sibi animas nostras tam miseras, tam deformes? Nonne recepit in currum gratiæ suæ, evchendas suo tempore etiam in currum gloriæ?

IV. Si consideretur modus, quo donum id collatum est. Nam imprimis non uni tantum et alteri, sed universim quam plurimis, imo omnibus qui se ad id recipiendum disponere voluerunt, collatum est primo, in die pentecostes: deinde, omnibus quotquot se ad Ecclesiam aggregarunt, non fuere exclusi Judæi, non barbari, non gentiles. Usque in hodiernum etiam nemo ab hoc dono excluditur, nisi qui seipsum excludit, peccati obice posito.

Secundo, largiter et effuse: *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum*, inquit Joan. Bapt. Joan. III. q. d. non dat parce et modice, sed quantum quidque vas, quantam dispositionem attulerit, tantum ei donat gratiarum et donorum Spiritus sancti. Sane in die pentecostes effusus fuit in apostolos et cæteros fideles, ita ut ab iis redundaret in alios, uti in concione sua ex Joële, cap. II. docet S. Petrus: *Effundam spiritum meum super omnem carnem*: Arabice legitur: *Inundare faciam spiritum meum*. Eo pertinet, quod ait Dominus, Joan. VII. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*, flumina hæc, seu

dona Spiritus sancti inundaverunt primo Jerusalem, postea orbem universum, implendo eum donis Spiritus sancti et omnis generis virtutibus.

Tertio, constanter, ita ut quantum est in ipso Spiritu sancto manere apud nos velit in æternum, juxta promissionem Domini, Joan. XIV. *Alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in æternum*. Nisi enim nos peccatorum immunditiis eum expulerimus, nunquam ipse nobis valedicet. Quanta vero est hæc gratia, obligare se homini Deum, quo ipsius hospes et individuus comes perpetuo esse velit, nisi excludatur? Magna utique gratia foret, si præstantissimus aliquis medicus sponderet se tibi semper a tergo adfore pro conservanda valetudine, tametsi tu te ipsi minime obligaveris. Et quid est medicus respectu Spiritus sancti?

Quarto, immanenter; ita ut in nobis maneat et habitet in cordibus nostris. Donum Filii Dei externum, donum Spiritus sancti internum fuit, diffusum in cordibus. Christum Dominum non omnes habere, videre, et audire potuerunt, sed qui in Judæa solum degebant: Spiritum sanctum omnes habere, ejusque bonis frui possumus. Ac licet jam non visibili specie, ut in discipulos Christi heri, et in centurionem, Act. X. illabatur in corda nostra, prodit tamen se pluribus argumentis et conjecturis minime vanis, quamquam in uno magis quam in alio. Sane de S. Philipp. Nerio scribit Gallonius, in ejus vita, anno Domini 1544. post quotidianam Spiritus sancti invocationem eum repente tanta Spiritus sancti vi impetuque repletum: « Ut cor illico sibi intra corpus saltare cœperit, eoque ardore inflammari, ut eum natura inusitata quadam cordis palpitatione omnino se ferre non posse significaret. Quamobrem benignus Dominus, quo illum ad plurimorum salutem diutius conservaret, contractis, atque in pugili, eoque majorem amplitudinem elatis duabus sinistri lateris costulis, quarta scilicet et quinta, ejusdem cordis sinum, quo id liberius ageretur, mirum in modum ampliavit. Erat istiusmodi fractura in anteriore parte pectoris, ubi costæ in cartilagine desinunt. Quo ex pectore adeo vehementer amplius quinquaginta totos annos agitari, concutique cœpit assidue plus minusve, ut mente rapiebatur in Deum, ut non modo toto corpore contremisceret. verum etiam lectulus ipse, aliaque omnia quibus ille insidebat, quasi terræ motu acta eo orante quaterentur. » Ejusdem doni violentia cogebatur sæpe mentem a divinis avocare, quod æstum dulcedinis et consolationis ferre non posset; quandoque etiam in summo hiemis frigore fenestras aperire, pectusque denudare, flabellis aerem

agitare ad se refrigerandum debebat, quasi revera ardentem flammam gereret in pectore. Ea vero alia non erat, nisi incendium Spiritus sancti, uti fassus est Friderico cardinali Borromeo.

V. Si consideretur causa hujus donationis quæ potissimum triplex est. Prima, Dei charitas et donitas, quæ sicut dedit Christum nobis redemptorem, ita quoque addidit Spiritum sanctificationem. Quod ergo de Christo legimus in hodierno evangelio: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, hoc idem de Spiritu sancto dicere poterat Dominus: *Sic Deus dilexit mundum, ut Spiritum suum sanctum daret*. Nullis ergo meritis nostris, sed ex mera gratia donum hoc accepimus. Quis autem nescit doni præstantiam augeri ex eo, quod mere sit gratuitum? Secunda, Christi merita quibus donum hoc nobis impetravit; promiserat enim: *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis*. Tertia, nostra miseria et indigentia. Si enim Christus post ascensum in cælum solos et desolatos nos reliquisset, rursus in priores tenebras et laqueos demonis certo citius incidissemus. Ergo Christus genuit nos sua passione, Spiritus sanctus velut nutrix educat et nutrit: Christus velut magister docuit nos viam salutis, Spiritus sanctus velut pædagogus ducit nos ad scholam et impellit ad discendum: Christus templum extruxit, quod est fidelis quisque, Spiritus sanctus id inibat et sanctificat: Christus animas nostras finxit et exsculpit, Spiritus sanctus eas vivis coloribus depingit: Christus navi nos imposuit qua ad cælum veheremur, Spiritus sanctus velut ventus navim hanc impellit, ut ad salutis portum veniamus, quo nos per afflatum suum perficere dignetur.

## CONCIO II.

CUR IN LINGUIS IGNEIS APPARUERIT SPIRITUS SANCTUS.

I. Ad designandam naturam Spiritus s. — II. Ad indicandam mundi renovationem per linguas apostolorum faciendam. — III. Ad denotandam evangelii virtutem. — IV. Ad designandum apostolos prædicatores. — V. Ut linguam hominum reformaret.

### THEMA.

*Lux venit in mundum.* Joann. III.

Finxere poetæ, gentilium theologi, Prometheus Japeti filium, a providentia sic vocatum, aliquando hominem e luto fecisse, sed inanimatum; ejus opus cum Minerva esset contemplata, promisit se de cælestibus donis aliquid operi ejus adjuncturum. Elevatus igitur a Minerva Prometheus ad cælum, ut ibi, quid operi

suo commodum esset, dispiceret, vidit flammatum solis eurrum omnia vegetantem, extensaque ad rotas ferula, ignem inde accendit, quem in terras delatum, in hominis quem finxerat, pectore condidit, atque ita vivum, loquentem, ac spirantem reddidit. Hanc fabulam dum recenseo, dicere possunt de Christo Domino, quod de Abraham dixit S. Ambrosius, l. 1. de Abraham, c. II. « Magnus plane (Dominus) quem votis suis philosophia non potuit æquare: denique minus est, quod illa finxit, quam quod iste gessit, majorque ambizioso eloquentiæ mendacio simplex veritatis fides. » Emmevero Christus verissimus noster Prometheus, postquam Ecclesiam suam prædicatione et passione reformasset, nec aliud superasset, quam ut illam vivificaret per efficacem applicationem doctrinæ et meritorum suorum, ideo a cælesti Patre assumptus in cælum inde dimisit ignem Spiritus s. qui in sinu Ecclesiæ conditus, eam vivificaret et in sortem filiorum Dei reponeret, velut opus perfectissimum, adeoque cælo dignum. Hoc ultimum operis sui complementum vehementer desiderabat Dominus, quando, Luc. XII. dixit: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* « Terra enim (inquit S. Gregorius, hom. XXX. in evang.) vocata sunt corda terrena, quæ dum semper infirmas in se cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculeantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu Sancti Spiritus corda carnalia incendit. Et terra ardet, cum cor carnale, in suis pravis voluptatibus frigidum, relinquit concupiscentias præsentis sæculi, et incenditur ad amorem Dei. » Illud nunc videndum restat, cur in linguas igneis descenderit Spiritus sanctus.

I. Ad designandam naturam Spiritus sancti, et primo, quod sit verus Deus, Patri et Filio consubstantialis; siquidem Dei insigne est ignis velut sublimissimum, purissimum, fortissimum elementum, ut ostendit S. Dionysius, l. de divinis nom. Unde Deut. IV. *Deus noster ignis consumens est*, ait Moyses: rursus: *Sicut ab igne manat lux et calor, ita a Patre Filius et Spiritus s.* ait Damascenus, l. de fide, c. IX.

Secundo, quod sit tertia in Trinitate Persona. Lingua, quia verbum profert, Patrem designat: verbum quod profertur Filium; ignis in lingua Spiritum sanctum. Primo, quia ignis typus est amoris in ss. litteris, Spiritus sanctus autem est amor, a Patre et Filio procedens per amorem. Secundo, quia ut ignis latet in multis rebus absconditus, velut in scilicet et ossibus leonum, unde non nisi attritione vel allisione efficitur; sic occulto modo Spiritus sanctus occupat et inhabitat hominum corda, e quibus tunc maxime elucet, cum illi persecutionibus atteruntur.

II. Ad significandum, quod apostoli per linguas novas mundum essent incensuri igne dilectionis Dei, et purgaturi a vitiorum et errorum tenebris a spurcitiis. S. Dominici mater grævida videbatur sibi per quietem continere in alvo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem, ad amorem et cultum Dei orbem terrarum incenderet, ut in ejus vita. Et quid aliud significabat fax ardentis linguæ supra caput apostolorum? Quando aliquis belli dux hostem vult subigere, tunc mittit in ejus terram milites incendiarios, qui passim oppidis et pagis flammam injiciant; hinc enim terribiles hostes franguntur et tandem subjugantur. Simili, sed feliciori invento aggressus est mundum Christus, ut rebellem sibi subiceret: misit enim incendiarios apostolos linguas igneis instructos, ut orbi faces doctrinæ christianæ injicerent: Petrum ablegavit Romam ut Italiam accenderet, Jacobum in Hispaniam, Andream in Scythiam et Achaïam, Bertholomæum in Armeniam, Thomam in Indiam, Matthæum in Æthiopiam, etc. de quibus intelligere possumus id Psalm. CIII. *Qui facis angelos tuos spiritus, et ministros tuos (apostolos) ignem urentem*. Quæ legatio ita fuit efficax ut intra breve tempus totus pene mundus in plerisque nationibus arderet, non solum extingui hic ignis non potuit, sed etiam illi sæpe qui extinguere eum conabantur, eo correpti et ipsi ardere ac Christum prædicare cœperunt, veluti prætores provinciarum, iudices, carnifices. Et licet passim hi incendiarii ad necem quærentur ac caperentur, multo tamen magis incendium grassabatur, cujus ignis vehementia præfigurata est in spiritu illo, quo repleti prophetabant Samuel et David cum aliis prophetis, 1. Reg. XIX. Cum enim misisset Saul lictores illos, ut caperent Davidem, cœperunt et ipsi prophetare, quod secundo et tertio factum. Imo cum ad extremum et ipse abiisset illuc, factus est etiam super eum spiritus Domini, cœpitque et ipsi prophetare, ita ut proverbium exiret: *Numquid et Saul inter prophetas?* Hoc idem evenit Saulo nostro, qui postea Paulus, dum Damascus pergeret, ligaturus Christianos et ducturus Jerosolymam, qui in via hoc igne et spiritu correptus, factus et ipse propheta et Christianus est, quando circumfulsit eum lux de cælo. Post triduum enim (quo cæcus erat): *Continuo intravit synagogam, et prædicavit Jesum, quoniam hic est Filius Dei*; ita ut stuperent omnes et dicerent: *Nonne hic est, qui expugnabat in Jerusalem eos qui invocabant nomen istud?* Act. VII. Id ipsum postea evenit pluribus aliis. Ignis includi nequit, sed omnia perrumpit. Ita loquente S. Stephano, coram principibus sacerdotum, non poterant illi resistere sapientiæ et Spiritui

qui loquebatur, Act. VI. Hoc nimirum est quod promiserat Dominus apostolis, Luc. XXI. dicens: *Ego dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri*. Hoc designabant igneæ linguæ, quia, ut ait Chrysostomus: *Ignis vehementiam gratiæ, quam vinci non possit, demonstravit*.

III. Ex S. Fulgentio, ad denotandum ipsum evangelium et legem, quam promulgaturi erant apostoli, plenam scilicet igne amoris divini, de qua Deut. XXXIII. dicitur: *In dextera ejus ignea lex*. Unde S. Bern. serm. 1. de pent. ait, missum in igneis linguas, Spiritum sanctum: *Ut legem igneam, ignea lingua loquerentur*. Ignea est lex Christi seu evangelium, quia ignem spirat amoris divini immensi et antea mundo inauditi. Quis enim explicet magnitudinem amoris Dei, quem exhibuit mundo, dum ejus gratia homo fieri, pati et occidi voluit, seque illi præterea in sacramento relinquere? Refert Holcot, in l. Sapientiæ, l. CXXIV. ex Giraldo, insulam in Hibernia olim fugitivam subito in mari detectam apparuisse, in quam cum nautæ vellent descendere, subito insula refugiens alio se transtulit, idque sæpius factum. Instructi ergo a quodam sene, quod ignis valeat contra phantasmata, ideoque sagitta ignita in insulam jacienda sit, fecere uti monebantur; mox insula restitit et habitari cœpit. Ejusmodi insula fuit mundus ante missionem Spiritus sancti; fugiebat enim a prophetis, quoties illi eam incendere et convertere ad Deum volebant; sed postquam ignita linguarum suarum jacula miserunt in eum apostoli, et immensum charitatis divinæ, mundo in Christo exhibitæ, prædicaverunt ignem: mox consistere cœpit mundus, et recipere evangelium. *Facta enim hac voce*, ait Lucas, cap. II. *convenit multitudo et mente confusa est, etc.* ex omnibus scilicet hominum nationibus, qui cum audissent concionem Petri factam: *Compuncti sunt corde, et dixerunt ad apostolos: Quid faciemus, viri fratres?* Et baptizati sunt eo die ad tria millia. Ex eo tempore mundus accensus est igne charitatis erga Deum, ex ignitis illis evangelii jaculis, et expletum quod dudum Isaias prædixit, cap. LXIV. dicens: *Utinam dirumperes cælos et descenderes: a facie tua montes destuerent; sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni ut notum fieret nomen tuum*. Ante missionem hujus ignis, mundus obriguebat, nullus in Deum amor, nulla in proximo charitas vigeat; at postquam ignea Christi lex prædicata est per apostolos, tum non erat qui se absconderet a calore ejus, tum inceperunt dies caniculares Christianorum, in quibus tantus erat ardor amoris divini in Christianis, ut plurimi desertis ædibus et palatiis silvas, specus